



156

156

Del 43  
MEMORIAE IMMORTALI  
SERENISSIMAE REVERENDISSI-  
MÆQUE PRINCIPIS AC DOMINÆ,

**DN. ANNAE  
DOROTHEAE,**

**DVCIS SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE**  
AC MONTIVM, NEG NON ANGRIAE ATQVE WESTP-  
LIAE, LANDGRAVIAE THVRINGIAE, MARCHIONIS MISNIAE, IMPERIALIS,  
LIBERAE AC SECVLARIS DIOECESIOS QVEDLIMBVRGENSIS ABBA-  
TISSAE, RELIQVA,

OPTIMAE PATRIAE MATRIS,  
**DOMINÆ NOSTRÆ CLEMEN-  
TISSIMAE,**

CVM D. XIII NOVEMBRIS, ANNO M DCC IIII.  
BEATAE RELIQVIAE MONVMENTIS MAIORVM VINARIAE  
ILLATAE, ET D. XIII, AC XVI QVEDLIMBVRGI  
EXEQVIAE FACTAE ESSENT,

**ORATIONE FVNEBRI**  
IN GYMNASII AVDITORIO MAIORI  
DIE XVII NOVEMBRIS, AB HORA PRIMA  
SVPREMVM PIETATIS OFFICIVM DEVOTISSIME  
PERSOLVET

**M. TOBIAS ECKHARDVS,**  
ILLVSTR, GYMN, RECTOR.

---

QVEDLIMBVRGI,  
LITERIS SIEVERTINIS.

MEMORIAL IMMORTAL  
SACRATISSIMA REVERENDISSI  
MORVINCIPIS AC DOMINI

DR. ANNAE  
DOROTHEAE

DUCIS SAXONIAE CIVIS  
AC MONTANI  
SACRATISSIMA REVERENDISSI  
MORVINCIPIS AC DOMINI

OPTIMAE PATRIAE MATRIS  
DOMINI NOSTRI  
CIVIS  
SACRATISSIMA

CUM D. XII NOV. MDCCLXII ANNO M. DCCCLXII  
BEATAE BELGICAE MONACHIAE MADRAM VIVIANAE  
BEATAE ET D. XLI ANNO QUILIMBERGII  
SACRATISSIMA REVERENDISSI  
MORVINCIPIS AC DOMINI

ORATIONE QUAE  
AK  
IN GENOSII A DICTORIS MAIORI

DE XII NOVEMBER ANNO MDCCLXII  
SACRATISSIMA REVERENDISSI  
MORVINCIPIS AC DOMINI  
PERACTAET

M. TOBIAS ECKHARDUS

ALVICI OTON RECTOR

PROBANTISSIMO  
CIVIS REVERENDISSI





**E**

Tsi multis graue molestumque videtur, suam imperio circumscribi libertatem; nihil tamen in rebus humanis est, quod maiori se praestantia, utilitate ac necessitate commendet, quam imperium. Sine eo enim si foret, nihil ordine recteque, pleraque confuse, multa per vim &

fraudem, eoque cum iniuria ceterorum, essent coniuncta futura. Sunt quidem ea homines facti natura, ut inter eos sit societas quaedam & amicitia, officiaque humanitatis, & quae ad societatem ac coniunctionem tuendam & conseruandam valent, commodaque mutua promovent, exerceantur. Lucem praefert ratio, quae quod rectum honestumque est, & ad communionis pertinet usum, peruidet, nec aduersa ei ac nocitura ignorat: complementum addit oratio, cuius, nisi in societate, usus haud est, ad exponendum desideria ac necessitates, consiliumue dandum, aut docendum. Est tamen ea labes ac peruersitas humani ingenii, ut pauci admodum naturae obediunt, eique congruenter viuentes sponte faciant officium, plerique ab ea recedant, suaeque obtemperantes libidini disturbent communitatem. Dum enim suis multi commodis student, vel eminere cupiunt, aliena ad se rapere, aliisque detrahere ac violare non verentur, vel sola etiam prauitate animi iniuriam aliis faciunt, atque insultant. Est itaque imperio coercenda animi peruersitas, ut suis quisque fruatur, & secure agat, hominumque societas conseruetur. Hinc bene sapientissimus Quiritum Cicero: *sine imperio, inquit, nec domus ulla, nec ciuitas, nec gens, nec hominum vnuersum genus stare potest, L. III. de LL. init.* Atque certe habituri essemus imaginem status, quem siue fingit, siue statuit Thomas Hobbesius, naturalis, in quo bellum est omnium aduersus omnes. Deus autem, cui, ut iterum praecclare Cicero, *in Somn. Scip. c. 3. nihil est acceptius, quam concilia catusque hominum iure sociati, imperium concessit hominibus, ut vi eius & ordo, & utilitas, & securitas hominum communis conseruaretur, nec dissolueretur consociatio.* A Dei enim sapientissima prouisione ac praepotenti maiestate potius rem tam sublimem, tamque praestantem iuuabit deriuare, quam humanae prudentiae,

quam fecerit necessitas, dicere inuentum. Priuatum primo patriumque fuit, nec vltra familiæ se porrexit fines, donec auctis mortalibus, & in cœtus ac ciuitates cocuntibus, auctum & ipsum fuit, tantamque potestatem comprehendit, quanta satis est ad tuendam communitatem, eiusque promouendam salutem. Virilis sexus hæc initio dignitas fuit, vt imperii gloria esset insignis, Deique nomine potestatem in alios exerceret. Factum est tamen, vt non raro ad feminas peruenerit imperii maiestas, & viris obsequii relicta fuerit gloria. Annales profani si fidem merentur, cum nato per vim auctoque imperio hæc obtinuit vicissitudo, quando Ninum excepit Semiramis, quæ rebus præclare gestis magnum posteritati reliquit nomen. Verum vt sacræ Historiæ satis congruit, quod de Nino traditur: ita rationes sunt haud spernendæ, quibus in dubium eruditi vocant, quicquid de Semiramide, eiusque rebus gestis proditum est memoriæ. Neque tamen alia desunt feminarum exempla, quæ ad clauum rei sederunt publicæ, & gentibus fata dispenserunt. In Aegypti regno Cleopatra regnavit, Iulii Cæsaris cum primis beneficio; neque tamen sine exemplo, quod Lucanus prodidit, *L. X. v. 90. Bell. Pharsal. non vrbes prima tenebo Femina Nilias: nullo discrimine sexus Reginam scit ferre Pharos.* Licet enim, vel sacris viam monstrantibus literis, in antiquiora ire tempora, quandoquidem Pharaonis filia, quam Thermuthim Iosephus appellat, Mosén in filium cooptasse existimatur, vt sibi aliquando succederet in regno. conf. Ebr. XI. 24. 25. 26. Ioseph. Antiqu. L. II. c. 3. p. 56. 57. In regno Mediæ ad filiam post Astyagen peruenturum erat regnum, & Scythis, bellicosissimæ genti, Tamyris imperabat, teste Iustino L. I. c. 4. 7. Sed longum nimis foret per regna & principatus, longius adhuc per exempla ire, fecitque hic otium Henningius Arnisaus, *de Republ. L. II. c. 2. Sect. 12. §. 35.* Improbant id quidem nonnulli, femineoque sexui hanc ereptum eunt gloriam, eumque plane ab imperio volunt remotum, in quo argumenti genere citatus modo Arnisaus præ cæteris multum occupatur. conf. Bernegger, *in Yasit. qu. 165.* Koenig, *Theatr. Polit. P. I. c. 23.* Reinking. *Bibl. Pol. L. II. ax. 4.* alii. Verum inutilis & superuacanea videtur disputatio, cum publico vsu res comprobatur, & dubitandi rationes contrariis confutantur exemplis. Neque enim in eo versatur quæstio, num vbique, semper & ordine feminæ admoueri debeant imperio, sed si casus ita ferat, & mos admittat. Nulla enim facile gens erit, si in contentionem mas & femina, quorum æquale ius est, veniant, vel libera sit eligendi potestas, quæ marem non præferat, destinetque sceptris. Vt vero prorsus excludatur ab imperio femineus sexus, rationes, quæ afferri solent, eius generis haud sunt, vt omnino persuadeant. Sunt enim ita comparatæ pleræque,

que, vt de vniuersis colligant, quod de nonnullis valet, vel etiam retor-  
queri queant. Viris, aiunt, Deum in primo homine commiffisse imperi-  
um, cui & vxor, & familia fubiectæ funt. Verum fi maritus diem ob-  
eat, in matremfamilias, quod ille habuit, recidit imperium; quidni in  
regnis ac principatibus fimilis obtineat ratio, nifi legibus aliter fit proui-  
fum? Imbelles effe dicunt atque infirmiores, quæ domi habeant, quod cur-  
rent. Fortaffe non maiori id veritate de vniuersis afleueratur, quam quod  
omnes viri funt robufti, fortes ac bellicofi. Exempla in contrarium tam  
pauca non funt, vt illorum nulla fit habenda ratio. Nec vero pruden-  
tium fententia definicum eft, fitne confultum, ipfum Principem, fi eo fit  
animo ac viribus, vt velit ac poffit, dubia belli fubire, cum grauiffima fit,  
nec reparabilis facile, fi quid aduerfi Regi obueniat, iactura, & fatifit, au-  
fpicia fi afferat, ductumque aliis relinquat. V. Lipfius *Inft. Polit. L. V. c. 14. S.*  
*7. f.* Bernegg. *in Tacit. qu. 70. conf. 103.* Becman. *Geogr. P. II. c. 6. §. 5. p. 633.*  
Res profecto maiores atque illuftriores geftæ funt olim, hodieque gerun-  
tur, aufpiciis ELISABETHAE & ANNAE, Auguftiffimarum An-  
glia Reginarum, quarum laus omni feculorum memoria vigebit, quam  
fub vltio factum eft Regum, a GVILIELMO fi difcefferis, qui fuperiori  
feculo rerum in Anglia funt potiti. Fato fic prouifum videtur, vt ficut  
Elifabethæ Hispania, ita nunc ANNAE auxiliis Gallia immenfa poten-  
tia & imperii cupiditas infinita imminuatur, ac intra fuos redigatur fines.  
CHRISTINA Suedia fcepra tenente, arma Sueonum victricia longe la-  
teque funt circumlata, regnumque ad fummum gloriae potentiaque fafti-  
gium peruenit. Albertus contra, Suedia Rex, cum muliebria officia, misfis  
eam in rem instrumentis, commendaffet Margaretha, Dania Regina, in  
castris verfanti, non multo poft in proelio, quo victus & captus eft, re-  
ipfa fenfit, non braccas, fed caput imperare. Loccen. *Hift. Suec. L. IV. p.*  
*116. f. g.* Puffendorff. *Introd. Hift. contin. §. 47. p. 134.* Feller. *not. ad Horn. O.*  
*1. v. 137. conf. Jo. Magnus Gosh. Hift. L. XXI. c. 13.* Taceo Cyrum, re-  
gem bellicofum, ac fuccelfibus admirabiliter infignem, a Tamyri, Scytharum  
Regina, deuictum, Iuftin. L. I. c. 8. Regnandi virtutes, quarum  
princeps eft prudentia, in femineo defiderant fexu. Enimvero nemini  
praclusa virtus eft, omnesque admittit, nec fexus facit difcrimen. Bona  
fi mens afferatur, & cultus accedat, cuilibet ea patet, ac fponfe fe infinuat.  
Quod rarior fit in mulieribus regnandi prudentia, eo quis fortaffe referat,  
quod ad eam non æque inftituantur. Quo Plato, cum rem publicam  
delineauit perfectam, refpexiffe videtur, cum afue fieri feminas voluit ad  
ciuilia non minus negotia, quam ad ea, quibus vacare cæteroqui folent,  
fine dubio, vt virilibus curis feminarum vitia exuerent, quod de Agrippi-  
na prodidit Tacitus, *Annal. V. 1. 25. 2.* Factum eft tamen non raro, vt Aspa-  
fia

ſia quædam Cyro iuniori, Aelian. *Var. Hiſt.* L. XII. c. 1. Liuiâ Auguſto, ſaluberrima ſuggeſſerit conſilia; Pulcheriâ prudentiſſime rexerit fratris imperatoris iuuentam, & poſtea cum marito imperium; Zenobiâ Romanorum res primùm aduerſus Perſas fulcuerit, poſt ſuſtinerit arma; Ludouicâ Guzmanniâ ad Portugalliâ vindicandam libertatem generoſo animo conſiliisque ſuis multùm tribuerit. Quid de MARIA dicam, immortalis memoriâ Britannorum Regina, cuius conſilia in arduis maxime grauiſſimisque rebus GVILIELMVS Rex ſapientiſſima optimaque, & ſuis conformia, eſt expertus? Plures poſſent nominari, ſi Hiſtoriârûm monumenta nunc excutere, vel longioribus eſſe liceret, eſſi non ſemper annotatum ſit, quorum conſilia, cum bene regnarunt Principes, ad bonas regnandi valuerint rationes. De Gallia certe dudum prodidit Aemilius, more ibi receptum, vt auctoribus mulieribus res magnæ gerantur, apud Becman. *Geogr. P. II. c. 3. §. 5. p. 507.* Quid noſtro ſit factum ibi tempore, palam eſt, & cunctis manifeſtum. Et cum certum habeam, nihil in re ciuili contingere, cuius in ſacra Hiſtoria ſimile non ſuppetat exemplum, Deboram cogitemus, quæ diuinitus excitata prudenter populum rexit Iſraeliticum. Pluſcula exempla laudauit Reinkingius *Bibl. Pol. L. II. ax. 68.* cont. Hollander. *ſpec. bon. & mal. Princip. in Regg. Iude p. 415. ſq.* Lipſius *Pol. Inſt. L. II. c. 3.* Bernegger. *qu. in Tac. 192.* Wendelin. *Inſt. Pol. L. II. c. 3. §. 6.* König *loc. cit. §. 34. ſqq.* Quotusquisque eſt Principum, qui ad ſuam omnia rei publ. negotia prudentiam referat, alienoque conſilio non vtatur, vt de iis nil dicam, qui a miniſtri alicuius toti pependerunt arbitrio, & ſeruorum miniſtri exiſtuerunt, quorum catalogum in Miſcellaneis Hiſtoricis n. XXXI texuit Berneggerus. V. Forſtner. *Not. Pol. in Tacit. annal. L. IV. p. m. 507. ſq.* Poſſunt igitur eodem ſubnixæ adminiculo feminæ in medium conſulere, & quæ ad ſalutem rei faciunt publicæ, prouidere, ſi iſta parte deficient ipſæ. Mulierum neque ſubiectos, neque vicinos ſatis reuereri imperium, vel recentis ſimo, vt alia taceam, conſutatur ANNÆ exemplo, quo de quicquid ad laudem dixerò, propter ſumma atque incomparabilia in Europam merita, minus erit. Si qua comitentur aliquando incommoda muliebre imperium, id erit reputandam, quod nihil in rebus humanis ſit abſolutum perfectumque, & alibi etiam ſit, quod deſiderari queat. Quod legibus ciuilibus, priuatoque ac particulari Romanorum iure conſtitutum eſt, vel Stagirita deſinuit, id moribus populorum præiudicare nequit. Hinc nulla fere natio eſt, quæ feminas ad imperium non admiferit aliquando. Gallia vel in primis vi legis Salicæ feminas excludit a ſcepbris; neque tamen a regimine proſus remouet. Quod ſi enim contingit, vt Rege deſuncto puer ſuccedat immaturus, mater vidua loco eius, tutorio nomine,

ex



ex more dudum recepto, administrat regnum, id quod seculo proxime elapso toties euenisse nouimus, quoties Rex nouus successit, semel pro Ludouico XIII Maria Medicea, & iterum pro LVDOVICO XIV Anna Maria Hispanica clauum tenente, qui mos aliarum quoque gentium consuetudine comprobatur. Accepit Gallia, vt multorum est opinio, legem Salicam a Germanis, horumque gente Saliorum, & idem succedendi mos, qui penes Electores seculares obtinet, de origine testari videtur. Ipsi etiam Germani, præ cæteris mascula natio, a feminarum imperio non abhorruerunt. Nostri maiores, Germani veteres, cordatissimi fortissimique mortales, feminarum consilia haud aspernabantur, nec responsa negligebant, vt prodidit Tacitus *de Germ. c. VIII. 3.* Mos etiam posthæc inualuit, vt Germaniæ provinciam quædam ad feminas descendant. Augusti etiam Imperatores iudicio suo præiuerunt, quando ius territorii, quod vocant titulum que ac dignitatem principalem, & ius suffragiorum in comitiis, concesserunt Abbatissis. Ab Imperatorum enim benignitate atque indulgentia hoc potius est repetendum, quam ad papales ordinationes referenda origo, quod auctor Collegii *in Discurs. Burgold. ad Tab. Pac. Westphal* qui Franc. Irenæum appellat p. 213. persuadere conatur. Quedlimburgensis certe Augustissimis conditoribus, Henrico Aucepe, & Ottone M. Imp. vt coepit, amplissimis dotata fundis ac priuilegiis, & ab augusti sanguinis illustrius Principibus ac Comitibus semper gubernata fuit; sic vel inter primos adepta iura est, quibus imperii Principes censeantur, cæterisque Abbatissis palmam facile præripit. Sed aliis hæc reliquimus disputanda; neque inquirimus, an alibi habeant subiecti, vt muliebris eos imperii poeniteat; huic sane dioecesi Quedlimburgensi Reuerendissima Serenissimaque Princeps, ANNA DOROTHEA, Dux Saxoniam, Iuliam, Cliuiam ac Montium, nec non Angriam atque Westphalia, Landgrauia Thuringiam, Marchio Misnia, Imperialis, libera ac secularis Abbatissæ Quedlimburgensis Abbatissa, cætera, Domina nostra Clementissima, ita præfuit, vt nihil Ei ad regendi virtutes, nec illi quicquam ad salutem defuerit ac felicitatem. Quicquid enim a bono Principe sperare subiecti & optare queunt, id omne Princeps optima, Augustæ Domus Saxonica: exemplis, laudatissimisque maiorum vestigiis insistens, sollicitius prouidit ac præstitit abunde. Id dolendum est maxime, modis omnibus deplorandum, quod mors præmatura rebus humanis eam subtraxerit eo tempore, quo fructus vberimos expectabant subiecti. Satis quidem diu videri poterat rexisse Dioecesin, quandoquidem per annos vnde uiginti, quod non ita multis contigit eius gubernacula tenuit; sed nunquam satis diuturnum est, quod bonum, quod excellens, quod optabile, quod virtutum maximarum exemplum est. Ambitiosa quondam

Ro.

Romanæ vel pietatis vel adulationis vota erant, vt non moreretur, æternusque esset princeps, & de suis ei numen adderet annos. Verum irrita hæc & vana nouimus vota, cum nec vitæ id rationes humanæ permittant, nec ordo diuinus patiatur. Alia nobis prouidendum est ratione, vt nostram erga optimam Principum probemus pietatem, & cum ipsa rebus humanis non possit interesse, eius memoriam inter nos seruemus, & quam maxime longam perpetuamque faciamus. Merentur id beneficia, quæ in nos dispensauit, ingentia cumulataque: merentur id virtutes maximæ & excellentissimæ, vt posteris exemplo sint, & doceant, quid sibi sit agendum, ad veram si laudem adspirent. Profana superstitio in Deorum numero collocabat principes, quos vtilitati communi multum profuisse censebat. Ast quo minus id nos faciamus, religione prohibemur, Serenissimæque intercedit pietas; & satis fecimus pietati officioque, si defunctæ monumenta sui in nos beneficii permaneant, & virtutes memoria colantur sempiterna. Fecerunt ædes sacræ & mysteriorum interpretes, quod suum est; nec vero Lyceum silere fas est. Dum enim Palladis instar multum literas amauit, & singulari cura studioque fouit, literatos etiam benignitate insigni semper excepit, vel in primis Musarum vocem requirit, ac pietatis ab iis iure postulat officium. Quod mihi dum commissum ac demandatum est, lubens id quidem ac volens pro summa, quam benignissimæ Principi, nouissime in has oras ab Ea euocatus, debeo, pietate suscepi; sed qui explere possim, vt de virtutum ac meritorum magnitudine nihil deteratur sermone, nullus video. Faciam igitur, quod possum, & breui oratione funebri Die XVII ab hora prima in auditorio Gymnasii maiori beatis manibus ANNAE DOROTHEAE, optimæ Principis, parentabo. Accuratas nunc allegarem preces, omnique verborum apparatu Patronos atque Fautores conuocarem, vt perhonorifica sua præsentia panegyrim exornare, audiendique veniam concedere vellent benigne. Quibus gratum erit ANNAE DOROTHEAE nomen, gratum spero omnibus fore bonis, si non magis nostris precibus, quam meritis beatissimæ Principis, reuerentiaque & amore, quo Defunctam sunt profecuti, mouebuntur, vt quod speramus & optamus, imo etiam studiosè precamur, nobis perbenigne præstent, suaque præsentia adsint beneuole dicenti, P. P.

Quedlimburgi, D. XVI Nouembr. Anno  
M DCC III.

☞ (o) ☞

























































































































































78 M 338



TA - DL

X 626

633

1007





MEMORIAE IMMORTALI  
SERENISSIMAE REVERENDISSI-  
MÆQUE PRINCIPIS AC DOMINÆ,

DN. ANNAE  
DOROTHEAE,

IAE, IVLIAE, CLIVIAE  
ON ANGRIAE ATQVE WESTPHA-  
GIAE, MARCHIONIS MISNIAE, IMPERIALIS,  
IOECESEOS QVEDLIMBVRGENSIS ABBA-  
SAE, RELIQA,  
PATRIAE MATRIS,  
OSTRÆ CLEMEN-  
SSIMAE,

MEMBRIS, ANNO M DCC III.  
MONVMENTIS MAIORVM VINARIAE  
XIII, AC XVI QVEDLIMBVRGI  
AE FACTAE ESSENT,

ONE FVNEBRI  
AVDITORIO MAIORI  
MEMBRIS, AB HORA PRIMA  
TIS OFFICIVM DEVOTISSIME  
RSOLVET  
S ECKHARDVS,  
L, GYMN, RECTOR.

QVEDLIMBVRGI,  
S SIEVERTINIS.

